

ejusmodi feras venari liceret. Ne tamen planè nihil agerem, feci quantum potui, extensisq; filis & erectâ regulâ Cometam ad stellas antea domatas, h. e. industriâ Tychonis ad certa zodiaci puncta relatas, alligavi, quibus postea velut allectricibus hanc feram ope Trigonometriæ si non capere, saltem ipsi quasdam insidias struere contatus fui. Quamvis autem observationes meas, utpote crassiores, nequaquam dignas judicaverim, ut lucem viderent, tamen, cum, DEO clementer sic dirigente, Spartam Professoriam nactus Disputationem pro Loco habendam esse scirem, operæ pretium fore putavi, si Trigonometricum loci Cometici calculum discursu generali de Naturâ Cometarum auferem, & utrumq; simul publico eruditorum examini boni ominis gratiâ exponerem. Quod dum hîc facio DEI stellarum utriusq; speciei Conditoris auxilium imploro, eruditorum verò benignam censuram in hac arduâ materiâ mihi polliceor. Sit itaq; bono cum DEO

## CAPUT I.

### DE COMETARUM CRITERIIS.

**C**ometam à *Comâ* seu capillitio nomen accepisse vocis etymon haut obscure innuit: Significat autem Cometa 1. *sensu populari*, omne *Φαινόμενον* rotundum, lucidum, novum, insolitum, in sublimi cum morâ temporis existens, si-ve motu quodam feratur à reliquis distincto, si-ve pendulum in sublimi quiescat, aut communi saltem revolutione circa tellurem volvatur cum stellis fixis in eodem situ consistens. 2. *Sensu verò Philosophico* designat Cometa tale *Φαινόμενον* insolitum, quod planetarum instar duplici motu, communi videlicet & proprio, progreditur, Comam interdum longiorem in locum à Sole aversum protendens. Quod verò  
sim-